



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

Quid est prædestinatio, vocatio, iustificatio, & glorificatio. tit. 149

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

mus, tunc sequetur perditio fauoris & gratiæ diuinæ atq; salutis æternæ. Rom. 8. Si secundum carnem iuxeritis, &c. 1. Cor. 6. Ephe. 3. Galat. 5. opera carnis istam punitio in 3. & 4. generationem &c. Necesse est ergo requiruntur pia opera post fidem, aut ex fide Christi facta, si gratia, iustificatio, promissa salus retineri debent. Obedientia igitur & retentio iustificationis, statuunt ex fide legem.

Tertiam questionem, an decalogus mereatur vitam æternam, soluit, respondens primum Rom. 5. gratia, vel donum Dei, vita æterna: pro quo notandum, quod nullus Apostolorum neq; Christus præcise illo termino vtuntur, scilicet, quod opera mereantur vitam æternam, sed alijs verbis, id est, metent, Gal. 6. vitam æternam, & Christus, possidere, Matt. 25. Venite, possidete, &c. & Matth. 19. Si vis ingredi in vitam, &c. & 2. Timoth. vltim. apposita corona iustitiæ: opera verba omnia potius id significare videntur, quod alius est, qui meruit vitam æternam: & alius est qui meruit, possidet, capit coronam misericordiæ. Ideo Christus licet solus meruit cælum, nulli tamen distribuitur nisi per medium operum, & obedientiam decalogi: & sic concludit Paulus, quod nos sumus possessores, &c. per opera, vt merita, non tamen vt merita, &c. soli Christo gloria.

*QUID EST PRAEDESTINATIO, VOCATIO, IUSTIFICATIO, ET GLORIFICATIO.*

TITVLVS CXLIX.

**P**rimò, prædestinatio est electio, qua et misericordia Deus nos ab æterno elegit ad salutem propter Christum. Ephe. 1. Elegit nos in Christo ante constitutionem mundi, ad laudem gloriæ gratiæ suæ. Nō ergo habet aliam causam hæc electio, nisi Christum, non nostra merita aut opera legis. Rom. 9. Non



Non est volentis neq; currentis, &c. Gene. 25. Cùm  
 nondum essent nati paruuli, dictum est à Deo, Iacob  
 dilexi, &c. Ipse prior dilexit nos, 1. Ioan. 4. Causa ergo  
 nostræ electionis ad salutem, est extra nos, id est, Chri-  
 stus, non autem in nobis.

Secundò, hanc electionem ab æterno sequitur vo-  
 catio, scilicet per prædicationem Euangelij, quæ di-  
 citur ad omnes homines vniuersaliter. Mat. 11. Veni-  
 te ad me omnes &c. Ioan. 6. Hæc est voluntas patris  
 mei, vt omnis qui videt filium, & credit in eum, &c.  
 Ioan. 3. Sic pater dilexit mundum, vt filium &c. Præ-  
 dicatio ergo Euangelij, est vocatio ad salutem, & sic  
 merita est ex misericordia gratuita, scilicet, prædica-  
 tio Euangelij: Electio ergo ab æterno facta est, sed vo-  
 catio iam fit in tempore, id est, prædicatione verbi Dei,  
 per quam acquiritur fides.

Tertiò, quoniam non omnes credunt & obediunt  
 Euangelio, Roman. 10. sed tamen aliqui obediunt &  
 suscipiunt: Ideo nunc tertio sequitur iustificatio, quæ  
 est remissio peccatorum, donatio Spiritus sancti, &  
 acceptatio personæ in filium & gratiã, ac vitam sem-  
 pitemnam propter Christum, qui semper solus causa  
 est. Sic propter fidem & obedientiam Euangelij pro-  
 nunciamur liberi ab accusatione legis, peccati & mor-  
 tis. Propter hanc fidem reputamur primò omnium  
 iusti, & sic iusti fide, postea facimus etiam iusta ope-  
 ra, Habacuc 2. Iustus ex fide viuit, In actu ergo iusti-  
 ficationis nihil exigitur, id est, nullum meritum, præ-  
 ter penitentiam & fidem, Mar. 1. id est, quòd quis do-  
 let de peccatis, & cupit sibi exhiberi misericordiam  
 propter Christum. & proponit obedire Euangelio  
 Christi: hæc tria exiguntur, quæ tamen omnia adhuc  
 sunt in mente conclusa, &c.

Quartò, nunc post hæc, id est, electionem, vocatio-  
 nem, iustificationem sequitur glorificatio: at illa nõ  
 fit in præsentis sæculo, sed futuro, de qua 1. Corint. 2.  
 Esai,



Esai. 64. dicit, quòd oculus non vidit, nec auris audiuit, &c. Roman. 8. Non sunt condignæ passionis &c. Hæc omnia enumerat Apostolus Roma. 8. Quomodo qui, prædestinavit, hos & vocavit, &c. Quintò, qui ergo nunc credit, confidere potest, quòd est de numero saluandorum & electorum. Qui verò non credit, iam iudicatus est, Ioan. 3. Causa ergo damnationis in nobis est, quia oblatam misericordiam contempnimus &c.

## AN LAICO LICET LEGE.

*re scripturas sacras.*

## TITVLVS CL.



Rimò, Propheta Malachias 2. cap. inquit Labia sacerdotis custodient scientiam, id est, addiscere & scire debent atque docere, & populus legem requiret ex ore eius, quoniam angelus, id est, nuntius Dei est. Hunc sacerdotum ordinem instituit Deus, ut prædicet, & ut audiat populus legem Dei ex ore eius non dicit, ipse populus legat, interpretetur, &c. Sic elegit Christus Apostolos, & misit illos prædicare verbum Dei, Luc. 9. & 1. Corinth. 3. inquit Apostolus: Dei enim nos sumus coadiutores, vos Dei agricultura & ædificatio estis. Nullibi dicit scriptura: Vos ipsi legite, prædicare vobis ipsis, &c. sed audire ex ore debetis sacerdotis seu plebani tui Euangelium.

Secundò, Gerson in tractatu de communionem laicorum sub vtraque specie: hoc fit, inquit, in scandalum grande & fraudem catholicæ veritatis: Hoc destruit maximè vnitatem, & causa est omnium errorum atque sectarum, quòd laici habent in suo vulgari sermone Biblia & literas sacras. Nam sic exorti sunt Begardi, Pauperes de Lugduno &c. & omnes hæretici in suum commodum & errori suo patrocinandum Biblia habent versa in Germanicum sermonem, quibus